

Exemplo autem nobis sunt discipuli, hominis *ψυχικός*, quam ille nihil sapiat, cogitet, aut faciat eorum quæ sunt Spiritus Dei, omnia inordinate appetens, meditans. Siquidem in ipsa Christi anxietate, cum iam in aditu mortis esset, discipuli inter se de Primatu dimicant, & rixantur. Vbi nota; nec discipulos primatum in Petro agnouisse, nec ab ipso Domino pro Petro sententiam latam esse, idque contra Papam, Petri, ut eius phantasiæ placet, successorem.

Porro, ad humilitatem, & modestiam, his argumentis discipulos suos hortatur Christus:

1. Non estis politici, aut mundani Domini, ergo ad illorum exemplum mundanos honores venari non debetis. *Reges gētium dominantur eis, & qui potestatem habent, benefici vocantur. Vos autem non ita, &c.*

2. *Ego, qui maximus inter vos sum, ad primatum in hac terra nunquam aspiravi, sed omnibus, etiam vobis seruum, & inferiorem me præbui: Ergo, vos mei discipuli, meo exemplo modestiam, & humilitatem itidem vobis habebitis commendatam. Qui maximus est inter vos, sit ut qui minimus. Nam ego in medio vestrum sum, ut qui ministrat, &c.*

3. *Si humilitatem meam in his terris sectabimini, olim regni mei in celis participes fietis. Vos estis, qui permansistis mecum, & ego paciscor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum: Ut edatis, & bibatis, in mensa mea, in regno meo, & sedeat, &c.*

Hæc summa est textus prælecti, ex quo discemus:

I. *Quomodo nos debeamus gerere, si forte per alios in discrimen bonorum fame, aut vitæ adducamur, citra culpam nostram.*

II. *Omnes Christianos, præcipuè autem Ecclesiasticos, ab ambitione alienos, humilitatis autem studiosos esse debere.*

#### DE I.

**Q**uomodo igitur se geret Christianus, ab inimicis suis præter suum meritum in periculum vitæ, fame, & bonorum adductus? R.

Primum, summum, & optimum remedium, solatiumque in

H